

etiamsi scribæ, pontifices, philosophi, principes et reges totis viribus obsisterent, quibus hoc unum regerebant: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » « Unusquisque proximum sibi non angustabit, » quia nec sese invicem, nec quemquam aliorum afflixerunt, sed potius omnes juverunt et consolati sunt. « Post hæc Deus in terram respexit, et implevit illam bonis, » cumulando gentes omni gratia et charismate cælesti. Hæc Hugo.

Sic et Dionysius: Deus, inquit, ab initio « distinxit partes illorum, » id est, dedit unicuique aptum et proprium locum, et divisit illas ab invicem. Sicque piscibus deputavit aquam, avibus aerem, hominibus et pecoribus terram. « Et initia ipsorum in gentibus suis, » id est, origines hominum ordinavit distincte, secundum gentium distinctiones, ut quælibet gens in terra sua habeat suam generationem, successionem, processum ac finem, sicut *Genes. ix* legitur terra distincta per filios Noe. Unde ait Paulus: « Deus fecit ex uno omne genus hominum habitare super universam terram, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, » *Act. xvii*. « Nec esurierunt, nec laboraverunt, » quia Deus cuique copiose de victu et vitæ necessariis providit. « Unusquisque proximum sibi non angustabit, » quia latissimum spatium habitandi in terra contulit eis, et iussit ut sine violentia mutuo conversarentur in charitate. « Anima autem vitalis denuntiavit ante faciem ejus, » id est, omnis anima rationalis vivens per gratiam, coram Deo confessa est horum veritatem, et laudem ejus; « et in ipsam iterum reversio illorum, » id est, reductio seu naturalis conversio creaturarum ad suum fontale principium a quo conservantur, et ad quod omnia tendunt suo modo, secundum quod effectus ad suam causam convertitur. Hæc, inquam, reductio pandit ac nuntiat Deum habere providentiam universorum, et omnia sapientissime ordinasse. Ita Dionysius.

27. ORNAVIT (minus recte aliqui legunt *ordinavit*: Græce enim est, *ἐκόσμησεν*, id est *ornavit*) IN ÆTERNUM OPERA ILLORUM. — Græce *αἰώνιου*, id est *sua*, *q. d.* Deus ornavit sua opera prima, puta cælos luce, sole, luna et tanta varietate siderum, quasi gemmarum fulgentium instar carbuncolorum, jaspidium, smaragdorum, etc., juxta illud *Job. xxvi, 13*: « Spiritus ejus ornavit cælos. » Noster legit *αἰώνιου*, id est *illorum*, quod primo Jansenius de cælis explicans: « Deus, inquit, ornavit opera, » id est operationes, motus et influxus cælorum et siderum, quia fecit eas et stabiles esse, et indefatigabiles, et pulcherrimo ordine inter se consentientes. Nam, ut ait Plato, *Dial. de Natura*: « Fas non erat quidquam nisi pulcherrimum facere eum qui est optimus. » Et Boetius, lib. III *De Consolat. metro 9*:

Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse

Mundum mente gerens, similique ab imagine formans, Perfectasque jubens perfectum absolvere partes, etc.

Loquitur Siracides de cælis et stellis quasi hominibus et militibus Dei, per prosopopœiam. Unde subdit:

NEC ESURIERUNT, NEC LABORAVERUNT, ET NON DESTITERUNT AB OPERIBUS SUIS. — Syrus, a fortitudine sua; Tigurina, non esurierunt neque defessa sunt in suis operibus, nec ab officiis suis cessarunt, *q. d.* Cæli, sol et stellæ, etsi quasi milites Dei assidue juxta præscriptum ejus moveantur, idque celerrime (adeo ut sol qualibet hora conficiat millionem milliarium, et insuper 140 millia eorundem: quod tantumdem est, ac si totum terræ globum circumcurreret quinquagies, uti ostendi *Gen. i, 16*), tamen nunquam esuriunt, nec defatigantur, ut a labore suo et Dei jussu exsequendo desistant. Quod significat eos jugiter, sine defectu, fatigatione et molestia, in obeundis muniis sibi a Deo injunctis strenue persistere et pergere, juxta illud *Psal. cxviii*: « Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia servant tibi; » Hebr. *omnia sunt servi tui*.

Alludit ad opiniones Platoniorum (quos secutus est Philo, et Origenes lib. VII *Periarchon*, ac dubitat S. Augustinus, *Enchir.* cap. xviii), qui cælos putarunt esse animatos, juxta quos mirum erat cælos non esurire, nec fatigari. Ad hæc solem, lunam et stellas censebant esse igneas, quas proinde vaporibus ali necesse sit: ignis enim eget suo pabulo, uti recenset Plinius, lib. II, cap. viii, Cicero II *De Natur. deor.*, Lactantius, lib. II, cap. vi. Rursum juxta veram sententiam Angeli, quasi intelligentiæ assistunt suis orbibus cælestibus, et quasi unum quid non compositum, sed aggregatum ex eis efficiunt. Hominibus autem vulgaribus mirum videtur Angelos in tanta occupatione et motu non esurire, nec fatigari. Verò Tertullianus in *Apolog.* cap. xxii: « Omnis spiritus, inquit, ales est; hoc est, Angeli et dæmones: igitur momento ubique sunt. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 34*: « Loca, ait, omnia peragrant, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem. » Certissime et clarissime Psaltes, et ex eo Apostolus, *Hebr. i, 7*: « Qui facit, inquit, angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Vide ibi dicta: ergo nec esuriunt, nec fatigantur. Dixit de perpetuitate cælestium operationum, subjicit etiam de concordia, dicens:

28. UNUSQUISQUE PROXIMUM SUUM NON ANGSTIABIT (minus recte aliqui legunt *angustiavit*, licet Græce sit, *ἐβλάψεν*, id est *afflixit, attrivit*) USQUE IN ÆTERNUM, — *q. d.* In tanta multitudine cælorum, siderum et planetarum, esto moveantur contrariis et celerrimis motibus, sintque invicem contigui et quasi continui, tantus tamen singulorum est ordo, tanta cujusque cum cæteris subordinatio et concordia, ut unum non premat, arctet, atterat vel impe-

diat aliud; sed quodque suo ordine illæse, integre et constanter incedat, imo currat, perinde ac milites in acie rite ordinata. Hanc cælorum concordiam admirans Job exclamat, cap. xxxv, 10: « Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? » Luna enim et stellæ, noctu ordinate incedentes et lucentes, hymnos nocturnos Deo canunt, et hominibus materiam laudis divinæ suggerunt. Idem et longe magis faciunt Angeli, ait Olympiodorus ibid. in Cæna. Unde Chaldaeus vertit, *ante cujus conspectum Angeli excelsi ordinant laudem in nocte*. Et clarius cap. xxxviii, 37: « Quis enarrabit cælorum rationem, et concentum cæli (hebr. *nabla*) quis dormire faciet? » Unde Pythagoras docuit cælos musica ratione compositos concentum edere (vide Censorinum *De Die natali*, cap. xiii); sed homines ob assuetudinem ad hunc sonum obsurdissime, uti qui habitant ad Nili catadupa, aquarum ex alto ruentium fragorem non audiunt, ait Cicero in *Somnio Scipionis*. Quin et S. Augustinus, epist. 28 ad S. Hieronymum, proprie in cælis sonorum concentum admittit. Sic et Leo Castricus in *Isaïæ* cap. xl, vers. 26. Et Georgius Venetus in *Harmon.* Favet et ratio, quia non tantum ex confricatione aeris, sed et omnis corporis resistentis sonus editur. Verum Aristoteles et Philosophi, lib. II *De Cælo*, negant hunc cælorum concentum. Quare Job per concentum intelligit concordies et ordinatissimos cælorum motus et cursus, ac mystice S. Gregorius: « Concentus, ait, cælorum est concordia prædicantium et consoni Angelorum hymni. » Unde Plato in *Timæo* asserit idcirco maxime oculos nobis a natura esse datos, at circuitus ordinatissimos qui in cælo peraguntur, intuiti, eos ad vitæ disciplinam traduceremus, ac ad eorum ordinem et stabilitatem, nostræ mentis vagos et erraticos motus componeremus. Vide S. Gregorium Nazianzenum, *orat. 26*, ubi docet ordinem conservare cælos, elementa et totum universum, ac consequenter ordinem hierarchicum conservare Ecclesiam. Unde inter cætera ait: « Ordine florente ac dominante est universum hoc, ac pulchritudo certa et stabilis (quare mundus Græce dicitur *κόσμος*, ab ornatu et pulchritudine). Contra autem perturbatio et confusio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in urbibus domibusque bella et dissidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreavit. Hæc enim omnia non pacis, nec ordinis, sed confusionis et perturbationis nomina sunt. » Denique addit Siracides:

29. NON SIS INCREDIBILIS VERBO ILLIUS. — Jansenius hæc annectit præcedentibus, *q. d.* « Unusquisque proximum suum non angustavit; » sed unusquisque alteri dicit: « Usque in æternum non sis incredibilis, » id est inobediens, « verbo Dei. » Træca enim sic habent: *alter alterum non afflixit, et usque in æternum non detrectabunt jussum ejus, vel, non erunt inobedientes verbo ejus*; Tigurina, *aliud alii non fuit molestum, nec unquam repugna-*

*bunt imperio ejus*; Syrus, *alter alterum non oderunt, neque in sæculum transgrediuntur verbum ejus*.

Secundo, Palacius cum Lyrano prosequens suam expositionem, qua hæc refert ad Angelos: Dixerat inquit, quod constituerat Deas Angelos, quorum operatio est cælos movere: addit nunc quod hæc Angelorum opera Deus ornavit, scilicet lumine diei, tenebris noctis, influxu virtutis, quam superiora in inferiora demittunt, pluviis, grandinibus, etc. Secundo, dicit quod Angeli illi nec in perpetua illa motione sudant, esuriunt aut laborant, nec per momentum cessarunt ab opere. Rem profecto admirandam! Tertio, dicit inter hos Angelos, seu cælorum Virtutes, summam esse concordiam: adeo ut nunquam alius alii sit impedimento, nec superior premat inferiorem, nec inferior subsultat adversus superiorem. Quia vero hæc res sunt admirabiles, subdit auctor: « Ne sis incredibilis verbo illius, » id est: Quæ tibi dico, verba Dei sunt, cave sis incredulus eis. Rursus, *q. d.* Imitare ergo cælos, o homo, ut, sicut illi Deo per omnia obediunt, nec ad punctum quidem ab ejus ordinatione discedunt, ita multo magis eidem obedias et tu qui sensu et ratione polles.

Tertio, Hugo hæc refert ad homines eorumque primam institutionem, *q. d.* Deus creavit hominem, eumque magnis naturæ et gratiæ dotibus ornavit ac collocavit in Paradiso, fecitque ut manens in innocentia, in qua eum condiderat, non esuriret, non sitiret, non fatigaretur, sed cum voluptate coleret Paradisum, ibi quoque nemo angustiasset proximum, injuriam illi irrogando, vel bona ejus auferendo, quia in eo statu omnia fuissent communia. Verum hæc potius mystica et symbolica, quam literalis est expositio. Tropologiam ejusdem et Dionysii de Apostolorum prædicatione recensui vers. 26.

Quibus adde ex Rabano: « Ornavit, inquit, in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, et non destiterunt ob operibus suis. » Præparavit enim Deus opera Ecclesiæ suæ, et charitatis splendore ipsam perpetualiter illustravit; propterea nullam virtutum patiuntur penuriam, nec pigritiæ lassitudine deficiunt, sed intenti bonis operibus semper insistunt. « Unusquisque proximum sibi non angustabit » usque in ævum, quia charitas non querit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Unde præcepit Apostolus dicens: « Tanquam filiis dico: Dilatamini et vos, et nolite jugum ducere cum infidelibus. » Latitudo mandati charitas est, quia, ubi charitas manet, non sunt angustiae. In ipsa latitudine erat Apostolus, cum diceret: « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis. » Ideo enim alibi legitur: « Latum mandatum tuum valde. » Quod est latum mandatum datum? « Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis. » Charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? in lato habita; quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat, quia illud diligis quod

